

nem Plutonem cum iis quae de Tartesso metallifero fluvio acceperat. Eadem fere I. H. Vossii sententia est. Sive enim Aeschylus quem Plutonem vocat ex illa fama hausit, quae a Vibio Sequestre p. 15. his verbis est prodita, *Arimaspa gentis Scytharum, unde aurum Scythae legunt*, sive aliunde petiit, is annis re, non opinione Aeschyli, si Gorgones ad occidentem sunt, Tartessus est, de quo Stesichorus apud Strabonem III. p. 148.

σχεδὸν ἀντιπέραν κλεινᾶς Ἐρυθείας

Ταρτησοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγᾶς ἀπείρονας ἀργυρορίζους.

Ibi certe Gorgones posuit Tzetzes ad Lycophr. 633. p. 721. *ὡςπερ καὶ αἱ Γοργόνες ἐν Ταρτησοῦ τῆς Ἰβηρίας, καὶν τινες ἐν Ταρσοῦ ταύτας εἶναι λέγῶσι*. et ad v. 838. p. 825. de Perseo, *πετόμενος ἦλθεν ἐπ' αὐτὰς τὰς Γοργόνας ἐπ' Ὠκεανὸν οὔσας περὶ πόλιν Ἰβηρίας τὴν Ταρτησσόν*. Quod ut ille sua ex coniectura dixerit, tamen ipse Völckerus, qui eum non recte sic coniecisse p. 46. contendit, iisdem in locis apud Hesiodum sedes Gorgonum esse concedit p. 19. Spanhemio quidem nemo assentietur ad Aristophanis Plut. v. 727. et ad Callimachi h. Deli v. 291. Plutonem deum dici putanti, quod *τὸν ἄδου ποταμὸν Ἀχέροντα* habeat scholiastes Apollonii ad II. 353. quamquam alio modo ista huc rettulit I. H. Vossius. Quod si campos Gorgoneos Aeschylus in confiniis septemtrionis et occidentis esse voluit, moneri putanda est Io, ut, ubi traiciendum sit fretum Oceani, trans fretum illud Phorcidum et Gorgonum adspectum fugiat, cis autem auri custodes griphos atque Arimaspos declinet. Griphi illi, quos quum alii, tum Herodotus III. 116. IV. 13. 27. cum Arimaspis coniungit, ab Romanis *pici* dicebantur: vide Nonium p. 152. Turnebum Advers. XXIII. 26. XXIV. 23. Plautus Aulularia IV. 8, 1.

*pici divitiis qui aureos montes colunt
ego solus supero.*

Brevi deinde praecidit Aeschylus, quumque, si Gorgones trans Oceanum in Libya sunt, iam sit ea in terra Io, pergit v. 808.

τηλουρόν δὲ γῆν

*ἤξεις κελαινὸν φύλον, οἱ πρὸς ἡλίου
ναίουσι πηγαῖς, ἔνθα ποταμὸς Αἰθίοψ.*

Hac quoque in parte itineris, sive ab oriente per Asiam, sive ab occidente Libyae venientem fecit vagam virginem, non veram illarum regionum formam, sed quam ipse ex diversis neque inter se cohaerentibus finxerat auditionibus imaginem est secutus. Quod si illorum vera est opinio, quibus per Asiam venire traiecto sinu Arabico visa est Io, aut locum in quo sol oritur putandus est *ἡλίου πηγᾶς* vocasse, aut transtulisse illuc quae de fonte solis inaudivisset, Aethiopes autem esse illos quos in Supplicibus v. 271. seqq. Indos vicinos dixit. Nam quod Klausenius p. 312. suspicatur, fontes illos esse Aethiopis fluvii, commentum est plane ventosum. Nec magis verum esse potest, quod idem pagina praecedente